

## **Febris malignae pathologia ... / [Johann Heinrich Goetz].**

### **Contributors**

Goetz, Johann Heinrich.  
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Schrammianis, [1768]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hpu8kaht>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

# FEBRIS MALIGNAE PATHOLOGIA,

QVAM

IVVANTE DEO T. O. M.

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMINO  
DOMINO

# C A R O L O ,

DVCE WIRTEMBERGIAE AC TECCIAE, rel. rel.

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE,

P R A E S I D E

EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

# G E O R G I O F R I D E R I C O S I G W A R T ,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE,  
CHIRVRGIAE ET ANATOMIAE PROFESS. P. ORD.  
MEDICO AVLICO,

PRAECEPTORE AC PATRONO SVO COLENDISSIMO,  
PRO SVMMIS IN MEDICINA OBTINENDIS HONORIBVS  
*Die Octobr. MDCCCLXVIII. H. L. Q. C.*

PUBLICAE ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R

I O A N N E S H E N R I C V S G O E T Z , Heilbronnensis.

---

T V B I N G A E , T Y P I S S C H R A M M I A N I S .

D E O  
P A T R I A E  
P A T R O N I S  
A T Q V E  
A M I C I S.



### §. I.

*T*hematis, quod elaborandum sumsi, *rationem*, ni fallor,  
determinate exprimit huius opellae rubrum. Sponte  
quoque patet, paginis hisce non comprehendi posse  
*pleniorem & specialiorem* etiam de febribus malignis *doctrinam*. *Generatiorem* tantum hic de illis intendo disquisitionem, *pathologicam* nempe, adeoque *theoreticam* quidem, sed talem, quae certioris circa illas *praxeos* esse possit *fundamentum*.

### §. 2.

Pertractabo eam, qua licebit, *breuitate*, & pro virium mea-  
rum modulo, conquisisitis undique rerum & argumentorum mo-  
mentis primariis.

### §. 3.

De *Thematis* huius *gravitate*, *necessitate* & *utilitate* vix est,  
quod addam. Nam me etiam tacente, res ipsa loquitur. *Mortis*  
*messis* *febres malignae!* Ipsum iam *morbi maligni truculentum nomen*  
eiusdem clamat *ingenium*, indeque metuendum *periculum*, & quo-  
vis artis nostrae indefesso studio, vel *imminens* *praecauendum* vel  
*praesens* auertendum.

## §. 4.

VETERVM quidem aequa RECENTIORVM industria in subdolo atque atroci hoc sanitatis ac vitae nostrae hoste detegendo ac profligando ita iam versata est, ut videri posset, nil amplius desiderari posse, in quod ultra inquireni oporteret. Verum enim vero nihilominus in hoc ipso argumento necdum omnes consentire deprehendo, adeoque operae omnino pretium esse existimo, discere, a qua parte in posterum in praxi mea futura stare mihi licet. Deinde cum non semper plane noua protrudere possimus, expedit certe etiam aliorum inuenta colligere, collectaque sollicitius expendere, inque ordinem redigere atque hinc inde demitis forte mendis, additisque addendis, ita excutere, ut ea confidentius in usus nostros trahere possimus *practicos*.

## §. 5.

Versabor quidem in *generaliori* tantum hac *materia pathologica*, verum nec hoc instituti praefentis *usui* repugnabit. Quid? quod eo ipso tanto *utilior* esse poterit haec disquisitio. Generaliora etenim sub se comprehendunt *specialiora*, & ab illis ad haec parata est via. Quicquid de febre maligna in *genere* cognitum habemus, illud ad quamlibet febrem malignam in *specie* & *cognoscendam* & *curandam* facili opera trahi poterit & utiliter applicari.

## §. 6.

Hoc itaque *fine* ne destituar, in enucleando hoc *themate* eo progressurus sum ordine, ut ea, ex quibus alia intelliguntur, praemittam, sic more solito totam comprehensurus morbi huius *pathologiam*. Ante omnia de eius *indole* & inde petenda *genuina notio-ne* determinanda, dein de eiusdem *causis*, *veris* seu *efficientibus* pariter atque *impropriis* sic *dictis*, *conditionibus* nempe, sub quibus illae operantur, eruendis, & denique de eiusdem *effectibus*, seu *symptomatibus signisque* exponendis sollicitus ero.

## §. 7.

Primum omnium itaque est, ipsius huius morbi *definita cognitio*. Ecce! tibi eam. En! breuissimam, sed, ut una decet, *genuinam*

*genuinam & adaequatam eius definitionem.* *Febris maligna* est febris putredinosa. Ergo vel *putridae* vel minimum *putescentis* indolis. Huic opponitur *benigna*, posito sic *adequato* huius *varietatis fundamento*. *Omnis enim morbus*. adeoque & *omnis febris*, vel inuoluit eiusmodi motum mixtionis animalis putredinosum, seu eum, quo possit produci diathesis mixti putrida, vel eum non inuoluit. *Fixo hoc & adaequato fundamento* nititur, ut morborum *generalis* in *malignos & benignos*, ita & *febrium specialis*, in febres *benignas & malignas*. Quid *harum* nomen definite delignet, id ex iam *definita* illarum *indole* innotescit sponte. *Contrariorum enim contraria* est ratio, & ultra hic progredi nil attinet.

### §. 8.

Alii paululum aliter loquuntur, quorum tamen *dicendi* potius quam *sentiendi* ratio a nostra (§. 7.) differre videtur, si discesseris ab iis, qui spreta *accruriori pathologia definitiua*, morbos, de quibus agunt, *vel* vix de nomine notos faciunt, *vel* plane fabulosis characteribus insigniunt, *vel* quae ad *specialiorem* de illis doctrinam spectant, in ea coacervant, omnia misere confundentes. *Illustr.* de H A E N in *Ratione medendi* P. III. pag. 3. & in *Diuisione sua febrium* pag. 127. *malignas*, dicit, *quas insolita symptomata, eaque prava comitantur, quas consueta auxilia, imo & multa alia insueta nedum non leuant, sed potius exasperant, quaeque demum multos permunt*. Ex improviso *lethales* eas pronunciat BOERHAVE in suis *institutionibus* pag. 919- dicens: *quin etiam ex omnibus his bene perpenfis intelliguntur signa malignitatis in acutis, quum enim haec significet celerrimam morbi mutationem in mortem*. Quibus etiam Celeberrimus GAVBIUS in sua *pathologia* §. 876. consentit. *Celeberr. LIEUTAUD* in *synopsi uniuersae praxeos medicae* T. I pag. 20. scribit: *Quid sibi velint autores per febrem malignam vix ex fusoribus scriptis patet. Nec dilucidior praxi incumbentium mens cum pro nutu & arbitrio varias febres reconditae indolis, dummodo grauioribus stipentur symptomatibus hoc nomine insigniunt. Absit ut imperitorum more horum characterem impertiamur cuiuis obvio morbo mali moris vel insuetis & grauioribus symptomatibus stipato. Iuxta tamen Antiquorum mentem has duntaxat febres sic vocitare licet, in quibus naturae*

vires obruuntur, adeo ut nec pulsus velocitas nec symptomatum vehementia morbi perniciei consonent. Celeberr. TISSOT malignitatem in defectu vis vitalis ponit in *Tentamine de morbis ex masturbatione*, pag. 201. dicens: *malignitas mihi nil aliud est nisi defectus vis vitalis deficien- tibus praesertim aut alteratis spiritibus animalibus*, & in libro, qui inscribitur: *Abhandlung an das Land-Volk.* Cap. XVII. pag. 269. inquit: *Man nennt boesartige Fieber, vvo Gefahr sehr gros ist, hin- gegen die Zufaelle dem Anschein nach nicht fürchterlich sind,* In quo ergo, ut cum Illustribus loquar sentiamque AVTORIBVS Comment. Lips. qui idem ita habent T. XII. pag. 547. recte dissentit a IVNCKERO, qui proportionatas hic ab anima moveri dicit turbas. Quae enim hic proportio? qui tum motus accommodati quando, ut ipse loquitur AVTOR maiorem hostem anima hic leuioribus adgreditur armis? Quae hic animae sapientia? quae eius intelligentia abs se ipsa non intellecta, & a nemine unquam intelligenda?

### §. 9.

Haud immorabor fusiori horum conceptuum disquisitioni cum planum sit, maxime idoneorum Autorum conceptus ei, quem dedi (§. 7.), non plane repugnare. Putredinosam indolem tantum non omnes agnoscunt. Morbi vero, quos *putrida* per humores disseminata induxit *labes periculosi* sunt omnino & *insolitis* comitantur *symptomatibus* & ex *improuiso lethales* fiunt; labefactatis nempe ex miasmate putrido, vitae fontes aggrediente, aegroti viribus animalem oeconomiam quam maxime non posse non labescere & facillime corruere palam est. Putredinosam denique indolem testantur primaria illius phaenomena, *cada- uerosus* nempe foetor, *der Leichen - Geruch*, in *perspirabili pul- monali* ex ore, in *cutaneo* ex cutis spiraculis, in *urinarum*, in *foe- cum aluinuarum* putore, in *toto* denique *corpore a morte naribus* obuius. Utrum malignitas & diathesis putrida ipsa sit morbus, an febris? num itaque e. c. febris pro mero pestis symptomate sit habenda, controuertitur. Inutilis haec mihi videtur res, & logomachiam sapere. Saltem nulla pestis, nulla similis malignitas abs- que

que febre cogitari potest, licet etiam sine pulsus velocitate, a qua febrilis is alias dicitur, existere possit. *Febris maligna* vel *continua* est, vel *intermittens*. *Intermittentes* enim *malignas* dari experientiae non repugnat, v. A. E. L. ann. 1712. Aug. pag. 348. *Dividitur* porro in *pandemiam* & *sporadicam*, atque *illa* denuo iuste *subdividitur* in *epidemiam* & *endemiam*. Praeterea *sporadica* subdividi potest in *endemiam* & *aduentitiam*. Definitiones faciles sunt, easque *aptar* earum *denominationes* iam patefaciunt. *Pandemiae* nempe eae nuncupantur, quae per integras ciuitates & regiones grassantur, *sporadicae*, quae quosdam tantum corripiunt. *Epidemicae* sunt *pandemiae*, quae ex miasmate aduentitio, peregrino, *endemiae*, quae ex domestico miasmate oriuntur. Unde me tacente patescit, quid *sporadicae endemiae*, quid *sporadicae aduentitiae*, nominibus veniat.

### §. 10.

Quantumuis haec *diuisionum* & *notionum* series aliquid noui & insoliti habere videatur, illa tamen a consueta doctrinae ratione non prorsus abludit, & ita, ni omnia me fallunt, comparata est, ut hoc rerum ordine & discriminine earum sic facto, *diuisionum* & *conceptuum fallaciae*, atque ambiguities remotae maneant.

### §. 11.

*Gradu* etiam vehementer differre febres malignas notum est. Unde distinguuntur in *malignas strictrius diellas*, *permalignas* seu *maligniores*, & *malignissimas*, quarum *primae* proinde a minori, *secundae* a maiore, *tertiae* a maximo malignitatis *gradu*, ut dicuntur, ita definiuntur. Quae alias hisce & similibus *notionibus pathologicis* immiscentur, vel aliena & ad reliquam doctrinam impeditantia, vel plane erronea, ea *pathologiam definituam* mire potius obscurant corrumpuntque, quam dilucidant & emendant.

### §. 12.

Caeterum & *durationis* respectu differunt. Sunt, qui negant ad *40*um usque diem & ultra quandoque hunc morbum protrahi. Sunt contra

contra, qui statuunt, quod caeteris acutis omnibus diuturnior sit. & nunquam intra 7 dies contineatur, nusquam ante 21um absoluatur. Quid sentiam, & utram stem litigantium parte, *ambiguus haereo*, idque in medio mihi relinquendum esse sentio, donec mea ipsius praxi certiora edocitus fuero. Interim ipsa morbi indoles, & ea, quae de isto relata legi, suspicari me sinunt breuiori, quin breuissimo tempore terminari posse cum. Hoc vero certum esse existimo, eas nulli facile submitti posse computo plane exquisito, cum difficillimum sit, ut plurimum adeo tectum detegere eius initium, finisque eiusdem pariter aegre definiri possit.

### §. 13.

*Causarum*, respectu multiplex est febris malignae varietas. Praecipue vero huius discriminis intuitu *diuiditur* in *naturalem* seu *spontaneam*, h. e. sine artis famulitio & sponte natura enatam, atque *artificialem*, seu peruersae artis consilio productam, de quo conferri meretur Celeberr. TRALLESIUS in aureo suo tractatu de *Remediis terreis*. Cap. XIX. §. XIIIX. p. 401. HARRIS de *morbis infantum*. p. m. 78. & 79. ut & BAGLIV. in *Oper. omn.* p. m. 52. *Respectu symptomatum* illa in primis notanda venit varietas, quam iuxta *diuidi* solet in *exanthematicam* & non *exanthematicam*. Aliqua huc spectantia discrimina ex postea dicendis febris huius *causis* & *symptomatibus* sponte elucescent.

### §. 14.

Missis itaque hisce aliisque ad *nosologiam* hanc spectantibus, quae paginas huius opellae excedunt, ad *aetioliam* huius morbi progredior. Vi *definitionis* datae (§. 7.) is se profert calamitosa illa putrida, saltem putescente mixtionis animalis perturbatione. Proximas itaque remotioresque eius causas efficientes praebent quaevis tam *interna*, quam *externa*, quibus crafis corporis nostri ita peruertitur, fluida praesertim, & omnium maxime nerueum perturbantur, vires franguntur, nec intactis relicitis solidis tonus debilitatur, motus sanguinis progressiuus labefactatur, hocque imminuto nihilominus augetur *intestinus*, atque hoc aucto diathesis illa

illa fatalis producitur, productaque celerrime augetur. Motus corporum vel *progressius* est, vel *intestinus*. Hic porro vel *simplex* est, nilque in illis alterans, vel *alterans*, quo ipsae partes eorum constitutiuae mutantur, & continuis solutionibus, nouisque solutorum unionibus aliam induunt naturam. Motus hic alterans is ipse est, qnem VETERES iamiam dixerunt fermentatum, ut id, quod hunc producit, nuncuparunt *fermentum*. Causa itaque *febris malignae proxima* est *fermentum* quoduis *putrefaciens* adeoque praesertim in se iam *putridum*. Cui displicent hae ab antiquissimis temporibus *receptae* & ita debite explicatae *locutiones*, is aut crassiores de multo fermentescente conceptus hic seponat, aut nisi hoc possit, alia nomina rebus hisce in se claris imponat, siquidem ab *usu loquendi* ita discedere iustum esse crediderit. Saltem *discrimen* illud, quod *motum intestinum simplicem* & *alterantem* intercedit in re ipsa fundatum esse, obseruatuque quam maxime *utile* & *necessarium*, negare non poterit.

### §. 15.

*Putredinosa alcalescentis* itaque indolis illud est *miasma malignum*. Ipsa etiam *methodus medendi* alcalinam huius miasmatis indolem prodit. Teste enim experientia anticalcinis oppugnandus est hic hostis. Haud itaque adeo *obscura* & *abstrusa*, multoque minus plane *occulta*, est harum febrium indoles. Tandem veritatem nostri asserti magis adhuc experimentum Celeb. D. NIEZKI cum D. LUDOLFIO institutum comprobat, vide dissertat. illius inaug. *de impedimentis circa solutionem in febribus malignis maxime salutarem obuiis*. Halae 1758. Admouerunt nempe exhalationibus aegri febre maligna decubentis acidum vitrioli volatile, & non solum leuem efferuescentiam, sed & ascendentem vaporem viderunt, ex quibus iuxta principia chemica certissima fit conclusio ad praeuentiam alcali volatilis. *Alcalescentis* indolis esse hoc miasma sane magnam affundit lucem *theoriae* & *praxi* medicae. Saltcm ita certe cadit eorum opinio, qui ab *acido* illud deducunt.

## §. 16.

Febris malignae *causae effectrices* sunt, quaecunque corpori nostro, vel animali in genere, putridam imprimunt labem, cuius fomite internus iste ignis febrilis incenditur (§. 14.). Istae vero sunt vel *immaterialia*, vel *materialia*, & utraque quidem vel *simpliciter praeternaturalia*, vel iterum *morbosa*. Haec proinde semper *interna* seu *innata*, illa contra tam *interna* quam *externa*.

## §. 17.

Quid *animi pathemata*, tristitia, terror, metus valeant, siue ista in ipsis aegris sponte enata fuerint, siue aliunde prouocata atque ab incautis ipsorum utriusque nominis Medicorum, eorum aequo puto, quibus physica corporis animaeque cura commissa est, ac eorum, qui sacra ad lectos aegrotorum curare iubentur, nec non reliquorum adstantium praesagiis, territionibus excitata, tristissima saepius edocuerunt exempla, ubi vel benignissimi in malignissimos exspectatione citius ita degenerarunt morbos. Unde Celeb. BALDINGER in scripto suo, cui titulus: *Die Arzneyen*, B. I. p. 156. 162. 170. metum, quando grassantur malignae, & moerorem recte hoc refert. Certe ut *magnus fortisque animus* hic optima est medicina prophylactica, ita *abiectus & bonae conscientiae* serenitate piaque in DEVM fiducia erigi nescius praecipuus tantae infelicitatis autor est. Prou. c. 17. v. 22. unde illud certissima experientia dudum confirmatum prouerbium: *metum pestis, ipsa peste pestilentiorum esse & malignarum terrorem ipsis grassantibus malignis malignorem.*

## §. 18.

Quod ad *causas materiales* attinet, fateor me ab eorum partibus stare non posse, qui *materiale* hic agnoscunt *causam*, eandemque quidem *tenuissimam*, *paucissimam*, attamen *agilissimam*, illam vero *efficientem* non esse dicunt; ipsique solum *principium* illud *vitale* substituunt. *Materialium efficientium causarum*, sane quam

quam plurimae existunt *vere tales*, vel ab ipsis iam innatis materiais morbificis, vel ab externis nos ambientibus rebus, vulgo sic dictis *non naturalibus*, seu accuratius loquendo, *simpliciter nobis praeternaturalibus*, aequo ac ab aliis in se iam *morbosis* sic iterum *morbificis*, per contagium nempe imminentibus repetendae.

### §. 19.

Hac, ni fallor, via satis aperte & facile ducimur ad quasuis febrium malignarum *caussas materiales internas externasque* inueniendas atque intelligendas. Modo & hic, ut decet, sollicitius discernamus *caussas veras* ab *impropriis* sic dictis, *efficientes*, inquam, *a causis sine quibus non*, ne maiori quam vulgo putatur, theoriae & praxeos certioris detrimento has cum illis confundamus. Perpetuis enim erroribus theoreticis & practicis ubique non possunt non esse obnoxii, qui *caussas disponentes* & *praedisponentes* & *efficientes* miscent, hasque nunc pro illis, nunc illas pro hisce habent. Causam morbificam non nisi in dispositis suum effectum edere, obiter dicere, quid iuuat? *Tristissima* haec veritas, cui amplius dicenda? Dicenda est ipsa *dispositio* huiusque *ratio*. Respiciendum est maius minusue illius periculum, nec ipsa denique *dispositio* cum causa *disponente*, nec proxime *disponens* cum *praedisponente remotiore* est confundenda. Alia enim in aliis est *dispositio*, & haec ipsa suas agnoscit *caussas efficientes*, quas, ut non cum ipsa *dispositione*, ita quoque nunquam cum *ipsius morbi*, qui sub *dispositione* ab illis producta oritur, *caussis efficientibus* confundere decet.

### §. 20.

*Alterum* monente Excell. Dn. P R A E S I D E hic praecipue cuitandum *errorem*, eorum omnino fouet doctrina, qui a *sol putrido miasmate* repetunt febrium malignarum genesin. Dantur enim omnino quoque *caussae* earum *verae* putridae huius sobolis genitrices, non iterum *putridae* & *alius* plane *indolis*. Ita e. c.

sola celerior aëris nullo putrido seminio inquinati, calidioris praesertim in frigidorem mutatio; ita abusus spirituorum ab omni putrido per se alienissimorum malignis tomitem præbere possunt adsolentque saepe saepius. Ea enim in se iam est *corporum animalium crasis*, ut vi vitae illius conseruatrice labefactata & perturbata in putridam diathesin sponte ruunt celerrime & præ aliis omnibus corporibus.

### §. 21.

*Putrida* itaque putridam, ut aliis corporibus, ita præsertim animalibus in se iam ad putredinem præ aliis adeo procliibus inferre corruptionem facile perspicitur, atque dubio omni caret. Quale fermentum, talis fermentatio, a putrido putrida. Febrium *malignarum* caussis itaque accensenda sunt qualiacunque *putrida interna & externa*. Ad illa proinde referenda sunt, quaevis *putrida*, *ulcerosa*, *cancrosa*, aequa ac *purulenta* laesis tam visceribus, quam partibus corporis animalis externis *innata* resorptaque & ad uniuersam humorum massam translata. Posterioris notae sunt quaevis *ingesta putrida*, *esculenta & potulenta*, *aquæ impuræ*, *carnes putredinosæ*, *aëris putrida miasmata* cum cibo potuque deglutita, inspiratu pulmonibus hausta, cutis spiraculis excepta. Quantumvis enim per spiracula cutis & pulmonum ipse non intret aëris, intrant tamen eocum aduectæ, quibus impuratus est, fordes ita adplicitæ & cohaefitionis lege penetrantes. His addendæ sunt *exhalationes* mox putrescentes *animalium* coaceruatorum, in hominum habitaculis angustioribus conclusorum, ut in praesidiis statuïis, castellis, urbibus populosis, in quibus eapropter febres malignæ pestesqne frequentius obseruantur; porro *vapores* putridi ex *merdis*, *fimentis*, unde præceptum illud diuinum Deut. 23. v. 13. ex *paludibus*, *fluminibus* putrescentia vehentibus & relinquentibus, unde in Aegypto toties recurrit pestis, ex *cadaueribus* post praelia non debite conditis, ex *sepulcretis* domiciliis viuentium vicinis, præsertim in *templis* & prope ista; unde Autor scripti; der ARZT: wie oft hat nicht ein

ein gesunder Kirchgaenger den Zunder zu seinem faulenden Fieber, das ihm sein Leben gekostet, aus der Kirche mitgenommen. l. c. Th. VI. p. 199. Quin ab unius cadaueris putore lethalis febris putrida orta esse obseruata est, vide Bressl. Sammlungen 1719. Jul.

### §. 22.

Quemadmodum vero quaevis *putrida* simili labe inficiunt corpora animalia, ita ipsas in his natas *febres putridas*, similes aliis inferre posse febres, tanto magis indubium est. *Contagium* vocatur eiusmodi infectio, utpote *species infectionis*, quae latius patet.

### §. 23.

De *contagiosa* hac febrium malignarum indole id hic non praetercundum est, quod ab experientia pariter constet, adeo *contagiosas* illas haud esse, ac esse vulgo putatur, quin imo morbos, qui tales non habentur, citius faciliusque sua propagare *contagia*. In *exemplis* nemini non obuiis ponamus sola venerea mala, quae certe hoc nomine ipsa peste pestilentiora sunt, utpote suo contagio multo facilius citiusque propagari solita. *Pestis & confortes febres malignae* non tantum ab uno illis adfecto in alterum transfunduntur. quam potius aliunde accedunt. *Lues venerea* contra ab uno in alterum potius, quam aliunde propagatur. Id satis superque confirmant eorum *exempla*, quibus cum peste laborantibus & cum ipsis ea defunctis continua & proximiora erant commercia, qui tamen ut plurimum ab illa immunes manebant, facilius superstites fani, quam ii, qui ab illis se suaque omnia separari tam anxie curabant. Et sane nimis obiter frustraque in contrarium hic traherentur eorum exempla, qui sub illo etiam commercio ea correpti sunt. Eo quoque nomine accipendum est, quod immortalis senex MORGAGNI de se ipso suoque Prosectori habet, *de Sede & Caus. Morborum*, Lib. IV. Ep. 49. Art. 32. Tom. II. pag. 266. Namque hi ipsi

aliis temporibus, aliis diffundendis & morbis sic dictis contagiosis denatis manus suas admouerunt, iisdem tamen neutiquam correpti. Et ipse Excell. Dn. P R A E S E S purpura & petechias plures defunctos diffecuit ab eiusmodi contagio immunis. Idem ita & aliorum *exempla & testimonia* loquuntur. Unde recte Matth. STOERCK in Diff. Inaug. medica, qua exhibet febris irregularis historiam Vindeb. 1766. pag. 25. thes. XII. saepe, inquit, dicuntur morbi contagiosi, quales non sunt, nam licet multi eodem prorsus morbo decumbunt, non propterea dicendus est morbus contagiosus. Est error inter populum communis, qui saepe nocet, & toti regioni terrorum panicum iniicit, & interrupit humanum consoritum. Monenda haec eo magis sunt, quo certius est, contagii metum plurimum nocere, & quibusuis sub ipsis consiliis & officiis obesse.

### §. 24.

Missam facio eorum *aetiologyam*, qui frustra in solo aëre venantur, inque eo semper peculiare quoddam *miasma* virusque quaerunt occultum vel coelitus delapsum. Quae tamen, ut mea faciam verba FELICIS PLATNERI, quae habet in eius *Opere praxeos medicae* Tom. II. C. II. de febrium caussis p. 74. ed. Baf. 166. quo minus probare possumus, omissis multis aliis argumentis, haec ostendere satis videntur, quod post magnas saepe tempestates diuque durantes, et si alii morbi, nulla tamen pestis sequatur & quod pestis saepe numero, nulla eiusmodi temporum, siderum, astrorum mutationibus praegressis aut praesentibus, aut illae saltem, quae nullius momenti sunt, nihilominus grassetur. Neque ex Orientalibus plagis ab infectis mercibus, telis xilinis aliquique farcinis, ita, ut vulgatissima fert opinio, ad nos deferri malignas has lues, veri speciem habet. Cum propiores eas praecurrant caussae, ut locustarum, erucarum aliorumque insectorum prouentus, praelia, annonae penuria, coeli inclemencia &c.

### §. 25.

Quid? quod ne putridae quidem tantum, sed & *alius indolis* sunt *putridarum febrium principia*. Ea nempe omnia, quibus alca-

*alcalescentia* seu *diserasia* in *alcalinum* vergens, partesque soluens, fundensque producitur. Id vero efficitur, quibusuis *commouentibus*, *motumque* partim *intestinum* eousque *augentibus*. Huius itaque classis *caussae materiales* propius dicendae sunt.

### §. 26.

Huc spectant, ut dictum est (§. 20.), *aëris* purioris etiam, ne cum putridis vaporibus inquinati, insolitae, celerioresque *vicissitudines*, mutationes, praesertim citiores *calidi* in *frigidum & humidum*. Sic etiam humores antea in tempestate calida iam disoluti, acroresque facti intro aguntur, conclusi ita irritant & ultra commouent, commota magis soluuntur, siveque *putrida alcalescentia* concipiatur (§. 25.). Hunc effectum accelerant *vestitus nimis tenues* sub sole ardente, exercitia corporis, *labores improbi & diaeta insuper calefaciens*. *Calor enim rarefacit, motumque intestinum auget, dissoluit ad diathesin usque putridam*. Facillimam hanc & *celerrimam putridi in viuis genesis* BOERHAAVIS egregie illustrauit experimento, quo ad calorem 146. graduum in passere & cane unius horae spatio foetor adstantibus intolerabilis & venenosus excitatus est, ut foemina proprius accedens, prope mortua concideret, & spiritu vini myrrhaque ad viuos reuocari oportuerit.

### §. 27.

Referenda huc porro sunt (§. 25.) pariter jam nominata (§. 21.) *calefacentia*, *calida* & non *calida*, & haec quidem etiam *frigidissima*, & illa iterum per se nullam calefaciendi vim possidentia. Ita, ad quod vulgo non satis attenditur, vel ipfa *aquosa calida*, quibus reapse ignis actualis deglutitur, copiofius & diutius usurpata, eousque noxia sunt, ut morbum in se *benignum* e. c. *purpuram benignissimam, chronicam, in febrilem*, hancque in se adhuc satis *benignam, in malignam conuertere possint*. Quid? quæso non expectandum erit, si calidis illis infusis & decoctis adduntur adeo in

in se calefacentia, spirituosa, olea aetherea, aromatica, opia, & quaevis vnlgo sic dicta bezoardica, quibus oleum igni adfunditur, de quo vide Dissertat. Dn. ESCHERHAVSEN de transitu febrium benignarum in malignas. Halae 1764. pag. 30. Applicemus quoque GERMANIAE, quae incomparabilis SYDENHAM suo tempore ANGLIAE applicuit sub finem schedulae monitoriae, cuius de malignitate (sive notionem, sive verbum dixeris) opinionis inuentio humano generi longe ipsa Pyrii pulueris invenzione lethalior fuit. Cum enim eae febres praesertim malignae dicuntur, in quibus intensioris prae caeteris inflammationis gradus conspicitur, hinc Medici se ad usum Cardiacorum & Alexipharmacorum, nescio quorum contulerunt, quo scilicet per cutis poros expellant, quod somniant VENENVM, (hoc enim est dicendum, nisi malint verbis ludere, quam illud, quod potest intelligi, serio proponere) ex quo factum est, ut regimen calidissimum methodumque huic parem iis morbis adaptauerint, quae frigidissima, tum remedia, tum regimen, prae caeteris sibi postulabant. Quod quidem satis arguitur, tum in Vario- larum, qui ex calidissimis in rerum natura affectibus est, tum in febrium aliarum curatione. In quem errorem forte inciderunt ex conspectu Petechiarum, macularum purpurearum, & caeterorum id genus φανομένων. Quae tamen omnia in plerisque subjectis, inflammationi aegri sanguini jamdiu satis a febre accenso superinductae, omnino debentur. Utpote, QVAE RARO SPONTE SVA efflorescunt. Atque hucusque SYDENHAMVS & cum illo ILLVST. de HAEN l. c. & ego cum VTROQUE.

### §. 28.

Praesertim hic adcausa etiam sunt *alcalina*, & facile *alcalifcentia*, *diaetetica* & *pharmaceutica*. Carnes itaque, iuscula carnium maxime sub morbis, ubi humores iam vergunt ad putredinem concipiendam. Tam absurdum est vulgi *consuetudo*, quam iuxta magni beneficij loco huiusmodi iuscula aegris commendant & offerunt, quin etiam, ut plurimum obtrudunt. Quam vero perversa quoque hic esse possint *artificia medica*, quam facilis eiusmodi

modi *error practicus*, eorum docent *exempla*, qui *alcalina fixa*, quia *volatilia*, *bezoardicorum*, vel alio quoquis, nomine dant, commendantque.

### §. 29.

De *caussis* harum febrium *artificialibus* praecipue legi atque relegi meretur ILL. DE HAEN l. c. FRID. HOFFMANNVS in Cap. de febre ardente ita conquestus est: *notandus vulgaris admodum perniciosus error practicus*, quo primis statim diebus liberali manus effentias *bezoardicas* & *alexipharmacas* porrigere suescunt morborum artifices ad malignitatem, ut *stolide* putant, a corde pellendam. Conf. Dissert. D. SVLZER sub Praefid. Exc. D. Dn. Profess. & Praeceptoris mei ad cineres venerandi SIGWART; *de Triga morborum male artificialium*.

### §. 30.

*Cauſſae efficientes* non nisi sub certis *conditionibus* effectus suos producere possunt. Aliae alias agnoscunt, febrium malignarum causae efficientes suas. Dicuntur quoque *cauſſae sine quibus non*, vocantur etiam *dispositiones* & *cauſſae disponentes* cum illis tam non confundendae (§. 19) istae barbare etiam *receptivitates*. Sed, quid opus est tot *synonymis*? *Conditiones* vero, sub quibus febrium malignarum *cauſſae efficientes* operantur, *multiplices* sunt, nec omnes hic recensendae. *Praecipuas attingam*. Istas nempe præbent *temperamenta calidiora, sanguinea, cholERICA*. *Aetatis vegetoris stadia*, vita otiosa & lauta, *plethora*, non *sanguinis modo*, seu *polyaemia*, sed & *reliquorum humorum, serorum, biliosorum, sulphureorum, pinguium*, *plethora* quippe in se spectata, nam *commota non huc*, sed ad *cauſſas efficientes* spectat, *vestitus tenues* flagrante coelo soliti, *in media &c.*

## §. 31.

Non me latet, dictas hasce similesque *conditiones*, *dispositio-*  
*nes*, & has, nec ipsum morbum, *efficients* caussas, inter ipsius morbi  
*caussas effectrices* recenserit, sicque cum his confundi, & nunc has  
pro illis, nunc illas pro his venditari. Ita iuxta vulgarem opinio-  
nem & sermonem *tempestas calida* calefacere & *frigida* frigefac-  
cere dicitur, sicque hae aëris vicissitudines ad febrium maligna-  
rum aliorumque morborum genesin *effectiue* concurrere credun-  
tur. Cum igitur ita obtinuerit haec doctrina, ut metuendum mihi  
sit, ne nimis paradoxon, aut plane erroneous videatur, quod  
has aëris vicissitudines non inter caussas efficientes hic retulerim,  
rationes huius rei plane praeterire non possum. Neque non  
Excell. Dn. PRAESIDI me debere adcuratiorem hanc in *aetiology-*  
*cis* doctrinam putari velim. Aëris calorem *effectiue* non cale-  
facere corpora nostra intellectu demonstratuque haud difficile  
est. *Aere* nos *ambiente* etiam calidissimo, calidiora semper sunt  
*corpora nostra*. *Calor* ex minus calido corpore non transit in  
magis calidum, sed ex hoc in illud. Haec *lex naturae* est, haec  
certa de illa *experientia*. Aëris ergo calor etiam maximus, quem  
experimur, utpote semper tamen calore nostro vitali minor, nos  
certe *effectiue* non calefacit, aucti sub illo in nobis caloris non  
est *caussa efficiens*, sed *caussa sine qua non*. Qui igitur fit, ut adeo  
incalescamus sub calida coeli temperie? Phaenomenon hoc per-  
quam facile explicatur, continuis motibus vitalibus continuo  
nouus generatur calor vitalis, parcus in aërem calidiorem transit,  
retinetur, sicque continuo in nobis augetur. Ergo non *calor exte-*  
*nus* nos calefacit, non est *caussa efficiens* caloris interni, sed  
*conditio*, sub qua augetur *internus*. Ergo etiam febrium maligna-  
rum aliorumque *morborum* non *efficiens* est *caussa*, sed *caussa sine qua non*. Ergo male vulgo pro illa, recte contra pro hac, habetur in  
*aetiologya nostra pathologica*. Ita vero intelligitur, quo nomine  
*gestas* dicatur *mater pestis*, & *malignarum*.

## §. 32.

Multo magis absolum est, & vel primis principiis physicis contrarium, *frigus externum* pro *frigoris interni caussa effetrice* habere. *Frigus* caloris est priuatio. Et quinam, quaelo, a *priuationibus* effectus exspectandi? Plus caloris ex nobis transit in aërem frigidorem, hoc amissio frigescimus, & quo copiosius, eo vehementius. De *inedia* idem dicendum. Continuis motibus vitalibus partes corporis nostri atteruntur, & detractis nutrientibus compages corporis nostri non conseruatur, non renouatur; sic omnia soluuntur, funduntur, acria liberantur, calores urentes inde suscitantur, diathesis putrida ingeratur. An id *inedia* efficit? quae hic iterum *priuationis efficacia?* *Conditio illa est, non caussa efficiens* sub qua, non a qua, tales effectus producuntur.

## §. 33.

Reliquae dictae (§. 30.) *conditiones*, sub quibus operantur *caussae febrium malignarum effectrices*, ut notiores sunt, ita explicatione fusiore non indigent. Nequaquam vero hic existimandum, eiusmodi discrimina rerum nullius in praxi nostra usus esse. Plurimum sane refert, veras, a non vere & *impropriæ* sic *dictis* caussis, efficientes, inquam, a non efficientibus & conditionibus nudis, sub quibus illae operantur, discernere.

## §. 34.

Ceterum ex hactenus dictis elucefecit, quo loco habendae sint reliquae harum febrium *caussae*, quas hic omnes exponere fuisse non licet, e. c. *nimia corporis exercitia*, *saltationes*, *pugillationes*, *equitationes*, *alii labores*, *grauiores*, calida praesertim tempestate suscepiti, *febres inflammatoriae protractae*, *colluvies verminosa*, *balnea*, *fomentationes* *calidiores*, *potulenta*, *esculenta fermentescencia*, *orgasticae humorum commotiones*, *dycrafiae biliosae*, *soluta uiuendi norma*, *nosocomia*, *carceres*, *naues* &c.



## §. 35.

Sed a caussis febris malignae ad effectus diri huius morbi properandum est, symptomata illi dicuntur. Haec pro varia eius indole, pro diuersis eius interuallis, varia sunt, semper tamen minus, quam in aliis morbis, conspicua. Tantum abest, ut characterem subdoli huius morbi petere possimus ab insuetis & grauioribus symptomatibus. Suam non ita in propatulo exercet saevitatem. Perniciose eius indoli haud respondent symptomata. Fallax sub cachexiae larua inuadit, RIEDL. lin. med. ann. 6. Sept. Obs. 13. 1030. Sub malo hypochondriaco latet ibidem, Obs. 14. p. 1034. Catarrhos mentitur A. N. C. Dec. l. ann. 6. 7. Obs. 203. non modo, ut RIEDL. cur. med. 386. loquitur, Medicorum quorundam, sed & variorum morborum, simiola. Quam indolem G. W. WEDEL in sua patholog. medica dogmatica S. l. C. 7. ita depingit; *malignus, seu mali moris, morbus dicitur a similitudine perfidorum, subdolorum, siue hominum siue brutorum.* Aemulantur enim canes, qui non latrant, sed a tergo mordent, insidiatores, qui ex improviso irruunt & occidunt, vel supplantatores. Ut vero in noscendis moribus magna opus est prudentia, ne candidum habeamus pro subdolo vel simulatorem pro candido, ita quoque hoc loco res se habet. Maligni sunt morbi, qui in recessu saevitatem, tyrannidem, impetum & gradum ipsum adeoque symptomata habent apparenter minora mole & aestimatio leuiora, in recessu tamen longe grauiora, imo grauissima, & quando minus vel minime omnium periclitari videntur, opinione cito subruantur, vel deterius habeant. Maligni inaequalitate, dolositate sunt periculosi. Omnia in malignis sunt inaequalia, in primis ipsae vires. Cum enim spiritibus insidentur praecipue, non potest non motus, & vis elastica eorundem effectus plurimum impediri. Non tantum adest debilitas quae, quo maior, eo malignior saepe morbus est, sed maxime inaequalitas. Nonnunquam enim aegri se plane laborare vix credunt, & uisi sunt peste correpti, eosque mansisse, vel quasi orthostadii, donec corruerent subito. Nonnunquam de nullo alio conquerentes audias, quam de virium debilitate, si waeren ur matt. Inaequalis est deiectione utrobique, aut visuntur debiles

cum

cum summa virium pauperie, nec calor tamen tantus adeſt, ſed blandus apparet, aut non adeo debiles, & pulsus, & reliqua non respondent. Infida igitur & subdola ſigna ſunt, urina bona, pulſus bonus, quamquam ſolum apparenter magis, aeger tamen moritur. Calor maximus, velut igne Vesuviano exurit, fitis nulla, unde non potest non periculum eſſe vitae coniunctum maximum. Malignitas & ~~zaxoñdeia~~ ſua quoque gaudet latitudine. Non ſolum, ut id hic repetamus, malignitas eſt ſpectanda, ſed etiam eiusdem gradus & ambitus. Saepe enim adeo infidiosa eſt, ut lateat & fallat praefentius blandiſſima viſa. De febre maligna diu latente vid. RIEDL. Lin. med. an. 3. Jul. obſeru. 12. p. 452. Systema cerebroſum & neruoſum illum infēſtare, omnia docent phaenomena ab initio ad finem eius occurrentia. Virium enim vi- taeque fontem illud eſſe conſtat. Haec virium proſtratio plane singularis adeſt in toto eius decurſu. Ab invaſione obſeruantur ſpontaneae laſſitudines, artuumque grauitates, leuiores horripi- lationes, harumque cum caloribus vicifſitudines, lipothymiae, ſomnolentiae vel & adfectus comatofi & insultui apoplectico vix abſimiles, capitis dolores grauatiui, linguae mucoſitas, an- guſtiae praecordiorum, ſomnus perturbatus, iſſomnia, appetitus plane deiectus, pulsus debilis quidem, ſed quoad celeritatem ſano ſimilis, nonnunquam a principio vel intermittentis vel alius remittentis febris paroxysmos format nullo ordine recur- rentes, vel praeter modum protenſos. Raro grauioribus ſe profert ſymptomatibus, conuulfionibus puta, choleriſ, intera- neorum doloribus, qui colicae hepaticaे, vel nephriticae faciem preſe ferunt. Caeterum fuſiōr eorum enumeratio hanc po- tiuſ historiam obſcurant, quam elucidant, ut patet ex ſcriptis, qui hanc materiam ſe exhauiſſe putant.

### §. 36.

Postea incrementa capiens morbus clancularias suas infidias ma- gis magisque prodiſt, lectum petere coguntur aegri, motus tremuli horrores & rigores magis ſele exferunt, igne ſub cineribus quaſi

gliscente. *Pulsus debilis, sano adhuc similis, vel ad hunc proxime accedens, quandoque vehementior & inordinatus, oculi obscurantur, caput vacillat.* Ingruunt & dolores capitis ex fundo orbitae, deliriorum nuncii, ex dorso, ex pectore, ex inguinibus, ex regione epigastrica, et scrobiculo cordis, vitii primarum viarum testes, aliquique *solitarii*, vel per varias partes *serpentes*, vel fixi, inflammationis nuncii. Saepe narium *haemorrhagia* accedit, ut aliae haemorrhagiae, *suspecta*. Neque *sternutationes* contumaciores, *raucedines*, *aphthae*, aliaeve, vel *intempestivae*, vel *excedentes euacuationes*, melioris sunt ominis. Lingua, vel mucro albo obducitur, vel arida fit, & aspera, tremula nigricansue, arescunt labia, fauces cum deglutiendo difficultate, sputamina quandoque cruenta sunt, os, saliuallibus aliisque fontibus referatis, cadauerosi quid spirat, urinae, nunc copiolius, nunc difficilius, parciusque fluunt, & colorem naturalem plerumque exhibent; unde illud: *pulsus sanus, urina sana, aeger moritur*, quod singulari *programmate* illustravit Excell. Dn. PRAESES. Plerumque *tenues* illae sunt, *albidas*, quandoque *flammeae*, saturate *rubrae*, *nil deponentes*, sordidum spirantes, frigidae adeo obseruatae A. E. L. ann. 1720. Sept. pag. 401. *Unde*, ut pulsus, & haec nil certi significant praefagiuntue. Sudores plus, minusve *frigidi* & *cadauerosi* obseruantur, qui, quo frigidiores, quo magis putridi sunt, eo & periculosiores; in quibusdam *parciores*, in aliis *largiores* & copiosissimi, ut Clinici inde decepti, hunc morbum pro *sudore Anglicano* habere possint, habuerintque iam reapse, adeoque aequa *fallaces* ac *pulsus* & *urina*, ut plurimum minus salutares praecipue *primis diebus* erumpentes, & *largiores* quoquis tempore, colliquatiui, frigidi, mortis praecones. *Alius* plus minusue libera, & nonnunquam ad *fluxum* usque dysentericum soluta; unde disputatur, num calamitosae illae *dysenteriae epidemicae* sint ipsae hae febres malignae, vel ab his distinctus morbus ad malignitatem vergens? Bilis ad diathesin putridam adeo procliuis praecipue hic consideranda est, quae, vel *resorpta* malum in intimioribus viis auget, vel in primis tales concitat motus perturbatos, unde *nausea*, *vomitus*

*tus biliosi, cruenti, singultus morti finitimi, cardialgiae, diar-  
rhocæ, dysenteriae foetidissimæ.*

### §. 37.

At facta truculenti vitae hostis huius in *cutis* regionem eruptione, melius forsan genuina eius indoles innotescit, sed absit, ut id credat cautior clinicus. *Eruptiones illæ cutaneæ* valde iterum incertæ sunt. In quibusdam *nullæ*, *incertoque tem-  
pore, ordine, loco, numero, coloreque diuerso, & quantitatis & figu-  
rae scheme* apparent. Ex quo coniicere licet, eas neutiquam de *essentia morbi* esse, sed *aliunde* venire, atque ab aliis acciden-  
tibus, a diaetae vitiis, a regimine calidiore, a curationibus incongruis, aliisue concurrentibus duntaxat spendere. Rationem asserti ultra praebent & alia phænomena, quod nempe miliaria partibus aëri frigidiori magis expositis parcant, quod vitatis ca-  
lefacentibus non erumpant, quod & in aliis febribus aequa ac morbis febris adeo expertibus occurrant. Non hic repetam, quæ ILL. de H A E N l. c. fusius pulcriusque hac de re proposuit.

### §. 38.

Eruptionum istarum frequentiorum *duo* sunt *genera*: *macu-  
lae* nempe paruae, non prominentes, morsui pulicum similes,  
*petechiae* dicuntur, atque *pustulae* exiguae, vesiculares, crystallinae,  
ab ortu suo pellucidae, postea albescentes, inepto, *purpuræ al-  
bae*, aptiori, *miliarium*, nomine venientes. *Illæ*, praeter faciem manusque, uniuersam reliquam corporis superficiem occupant,  
incerto tempore, in pectore dorsoque stipato agmine efflorecunt,  
& tridui spatio plerumque terminantur. Rutilas eiusmodi ma-  
culas leuioris, liuidæ contra, fuscae caerulecentes, nigrican-  
tes grauioris putredinis adeoque & maximi periculi indices esse  
in propatulo est. *Miliares pustulae* serius ocius erumpunt, tar-  
diores tamen, quam *maculae petechiales*, nulla seruata regula per  
totum morbum in cute ludunt, pluries recurrentes, eumque pru-  
ritum

ritum semper comitem habeant. *Miasma serosum* eas fouere par est credere, non verosimile autem, nerueum illud esse, utpote, vel nullum, vel saltem nobis certe inuisibile, aethereum, isto-que crassiori, quod pustulae illae continent, longe subtilius. Ad peripheriam corporis quoque protruduntur *parotides*, *anthra-ces* seu *carbones* rectius dicendi, quam *carbunculi*. Obseruatum est, febribus malignis mitioribus, neandum ad *pestilentem perniciem* euec-tis familiariora esse symptomata, *petechias*, *miliaria*, atque *paroti-des*, quam *bubones* & *carbones*, illos glandulosas partes, glandulas praesertim inguinales, axillares, ceruicales, nec raro fauces adoriri, *hos* contra quasuis partes infestare. *Utriusque* vero no-minis eruptiones serius ocius eueniunt, illae saepius a morbo incunte, imo & hoc superato, utrorumque resolutio mala, priores vix ac ne vix quidem, posteriores plane non tendunt in sup-puratum. *Carbones*, ad instar furunculorum, eleuantur, alii in insignem ex crescunt molem, citissime in sphacelosam corruptio-nem abeunt. *Bubones* auspicatores deprehensi sunt, quam an-thraces. Verum melius ne sit abesse, an adesse eiusmodi eruptio-nes ex caeteris artis, regiminis aliarumque concurrentium pari-bus, vel imparibus, iudicandum est. Hoc vero pro certo con-stat, omnes retrocessus esse lethales, nisi reuocari possint, aut aliis viis secessum mox inueniant, ut per urinam, quae ab hoc recessu materiam veluti purulentam feliciter deposuisse visa est, sed rarioribus exemplis. Praeterea *cryspelacea* quandoque etiam *exanthemata* emicant, & *phlyctenae*, & *maculae gangraenosae* aliaque insolentiora ad nullam constantiorem regulam reducenda & enu-meranda. Phaenomenis hisce & hoc addendum, quod, quae *singularis* est *obseruatio*, grallantibus malignis grauioribus omnes fere *alii morbi* sileant, euaneant in iis, qui illis corripiuntur, recrudescunt iidem in illis, qui eas superarunt. Constat denique non adeo facile corripi & correptos etiam mitius affligi *impaui-dos*, *munditiae studentes*, *tenui victu addictas*, *fonticulos gestantes*, *ul-ceribus laborantes*, *macilentes*, *phthysicos*, *podagricos* *aliosque arthri-ticos*, & in ancipiti magis versari *obesos*, *meticulosos*, *grauidas*, *puerperas*, *florentiores*, *Bachi* & *Veneris cultores*, & *alios inordi-natam*

*natam vitam gerentes*; unde LAERTIVS temperantiae SOCRA-TIS tribuit, quod prope solus superstes manferit post pestem, quae ATTICAM depopulabat.

### §. 39.

Ceterum *triplex* huius & cuiusuis alias morbi *euentus* est. Definit nempe vel in *sanitatem*, vel in *mortem*, vel in *alia mala* ipsa morte saepe grauiora. De his ergo *superuenientibus* a dictis *symptomatibus* discernendis haec tantum *adiungam*. Male cedens haec febris labes relinquit varias, hydropeim, phthisin, icterum, viscerum obstrunctiones grauiores, & saepe irremediables. Eas nempe imprimit non modo *vitalibus*, sed & *animabilibus organis* & istis quidem primariis aequa ac secundariis, quibus per fallaciam diuisionis alias tribuunt *functiones naturales*. Periculum est, ne iuniores, iique, qui debitam viuendi regulam non seruant, recrudescente morbo, seu quod aiunt, *reciduo* plectantur. Saltem ex illis praesertim, qui a viuendi norma non deflectunt, nulli sunt, qui cum pristina sanitate in gratiam facile redeant, & breui tempore restituantur, nisi id felicitatis iis forte quandoque accidat, qui magno *naturae robore pollentes* felicius eiusmodi diros morbos superare possunt. Id quod vero, ne his quidem accidit, nisi insuper leuior fuerit *malignitas*, cum qua ipsis conflictandum fuisse. Alii post hanc miseriam alias pedissequas experiuntur *febres intermittentes*, ordinariis medendi methodis non obsequio-sas, *febres hecicas* aliosque morbos *chronicos*, ab impressa labe visceri alicui vel pluribus, hepati, pulmonibus, quin omnium principalissimo encephalo. Unde alii *surditate*, alii *coecitate*, alii *mentis adeo alienatione* per totam vitam duratura plectuntur. Ceterum malignis tacti quibusuis earum temporibus e medio tolluntur, quandoque intra biduum, alii citius & intra 6 -- 12 horas, nullo saepe etiam obseruato praeuio morbo, unde CHICOYNEAU dans la relation de la peste de MARSEILLE. p. 8. inquit: *Nous pourrions bien encore admettre une sixieme classe de seux, que nous avons vu perir, sans presque aucun avant courreur,*

*ou autre lesion manifeste, qu'un simple abattement de forces, & qui interrogé sur leur état, répondirent, qu'ils ne sentoient aucun mal, ce qui marquoit pour l'ordinaire un cas desespérè & une mort prochaine.*

### §. 40.

Morborum *signa diagnostica & prognostica* operosius alias longissimisque catalogorum scalis conscribuntur, congerunturque, in quibus saepe nil videas, quam vel dictorum symptomatum, morbi ipsius, eiusdemque *causarum naufragias repetitio-*  
*nes*, vel repetitu dictaque non dignas *diagnoses & prognoses*. Quid enim dicere & repetere expedit, quod ante iam dictum est, aut dicendum fuisset, e. c. morbum in se deterioris indolis esse adeoque deterioris praefagii, caussas eius grauiores adeoque & ipsum, & quae ab eodem exspectanda essent, grauioris ominis esse, atrociora porro eiusdem esse symptomata, adeoque atrociora quoque imminere pericula. Morbus in *nosologia* debite descriptus testatur de se ipso, caussae eius ex *aetiologya* iam notae sunt, ut symptomatum cohors ex praemittenda de illo doctrina *symptomatologica*. Quot igitur ipsius morbi momenta, quot eius causae, quot eiusdem symptomata, tot iam adsunt eius signa, non amplius fastuoſo & superfluo syrmate ad nauſeam usque repetenda, niſi quidem aliqua principaliora & pathognomica velimus. Praeterea tanta est morborum *varietas*, ut ne eorum quidem, qui constantiorem feruant regulam, phaenomena doctrinis nostris comprehendendi possint. Quot enim subiecta ex uno eodemque morbo, etiam, ut scholae loquuntur, regulari, typico, laborantia nobis offeruntur, quot singularium horum varietates, tot eiusdem nominis morbi discrimina occurrunt, certe nequaquam praedicenda, nec ex libris & doctrinis nostris, sed circa *singula individua* demum discenda & ex rerum tam internarum quam externarum *singularibus conditionibus* eruenda & determinanda. Tantum abeft, ut morborum, qui prae alijs in se iam adeo infidiosi sunt & variabiles, varietates omnes praedici possint & enumerari! Eiusmodi vero pre-


proteiformes morbi sunt febres, de quibus agimus. Formas earum itaque, quas induunt, quis breui nostra pathologia usque eo praedici posse putauerit! Et quem in finem operosius in depingendo versatili eius genio versaremur. Suffecerit primarias, quibus se prodit, formas nosse. Reliqua praxis habet & iudicium subactum. Principalissima, certissima & *uniuoca* pridem supra iam dicta sunt (§. 9.) *signa*, putrida nempe illaphae-nomena non a morte tantum in toto cadauere, sed & ante illum iamiam in *perspirabili pulmonali*, in *cutaneo*, in *urina*, in *alui excrementis* satis obuia, plura quoque alia suis locis indica-ta. Reliqua, si placuerit, longa catena ex praedictis repeti poteunt, & quae non poterunt, per indiuidua eundo ad lectos aegrotorum demum discenda sunt.

### §. 41.

Atat, quam circa hunc abstrusum morbum factae in *vitis observationes*, plura fortasse ex abstruso eruere sinunt *extispicia*. Absit, ut hisce nil tribuamus quorundam more, qui ut reliquam ita praesertim pathologicam anatomiam leuiter habent aut plane spernunt, caueamus vero etiam, ne isti tribuamus plus aequo. Parum omnino saepe est, quod ex cadauerum se-ctionibus hic eruere possimus. Aperta malignis denatorum cadauera extantia putredinis vestigia ubique ostendunt, in encephali partibus interioribus exterioribusque, in eius anfractibus, ventriculis, inter-que eius inuolucra, illuuies saniosae, stagnationes collectiones-que purulentae. Pectore aperto, cor omnium minime adfec-tum esse videtur, pulmones vero decolores, maculisque liui-dis conspersae conspicuntur, & ad tactum molliores obseruan-tur. In uentriculis cordis, eius auriculis vasisque vicinis, ut in reliquis corporis vasibus, nunc dissolutus, nunc coagulatus de-prehenditur sanguis. Abdominis cauum plures & notabiliores labes offert, ventriculus ipsique appensa intestina tenuia praesertim valde tument, dictisque maculis sphacelosis & nigris foeda-ta sunt, duriusque tacta facile rumpuntur; illorum villosa,

vel abstensa est, vel facile secedit. Praecipue lien, hepar ita adfecta deprehenduntur, & omnium maxime omentum, quod quandoque putredine prope confectum conspicitur. Partes continentis, extremitates, totumque corpus molle, flaccidum a morte non rigescit, nec mox frigescit, ut alia cadauera, ut, licet talis habitus certissimam mortem significet, emortui saepe tamen non mox habeantur hoc morbo defuncti. Sin itaque tam notabilibus putredinis vestigiis post mortem conspectis illa antea eam deprehensa, supraque pridem dicta addimus, halitus nempe putridos ex ore adhuc viuentium, sudores ex cutis spiraculis impurum spirantes, urinas foetidas, excrementa cadauerosa, dubitari sane amplius nequit, malignitatem harum febrium putridam esse diathesin, atque ab hac recte dici eas *putridas* & inde petendum esse earundem *characterem definitiuum*. Inde pariter intellectu haud difficile est, *febrium*, de quibus haec tenus egimus, *indolem*, nequaquam adeo *rectam* esse atque *obstrusam*, ac nonnulli existimant. Inde una luculentissime patet, non minus *certam* esse ipsis *medendi methodum*, & hanc omnino ita comparatam esse, ut si, quod aiunt, vel *medice* etiam moriantur misericuriae nostrae commissi, moriantur tamen eo ipso fatis ita iubentibus & sine ullo Medici rationalis opprobrio, *scandalo* itaque non dato, sed *acepto*, cum in saluo ita sit & iusta nostra cura, huiusque ratio, iustusque atque *legitimus*, ut non ubique ad omnia nostra *vota*, ad artis attamen nostrae *regulas* impetrandum, *practicus* etiam, tenui huic opellae *praefixus* (§ 4, 5.)

F I N I S.





NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
S. P. D.  
PRAESES.

**N**on aequum modo est, sed iustum etiam, suo neminem de-  
dignari honore bene promerito. Qui TE manet, cum  
me quidem TIBI non aliquo etiam testimonio publico gratu-  
lari velle, nefas esse duxerim. Studii TVI medici pensis inter-  
nos EXTEROSque strenue percursis absolutisque, eos TVOS  
deprehendimus progressus in primo iam horum Examine ut  
ad alterum, quod rigorosum audit, TE admittere potuerit  
Ordo noster. In hoc Praeside REVERENDISSIMO nostro  
CANCELLARIO, harum rerum tum iudice & arbitro, eum  
TE denuo ita gessisti, ut omnino iudicatus fueris dignus illa  
publice petenda venia, qua pro summis in Medicina honori-  
bus & priuilegiis rite capessendis inauguralem conscendere  
licet cathedram. Hanc nobis dare, ut iustum iudicabat ILLV-  
STRIS VIR, ita & dabat pro ea, qua pollet autoritate publica,  
ab IMPERATORIBVS accepta & confirmata. Superest, ut  
edas publicum hocce studiorum TVORVM specimen. Dis-  
putabis itaque de re quadam certe utili, de re TIBI bene per-  
specta, de re, cui defendendae par eris, de re, qua com-  
probas TE noluisse non ea tantum, quae neque in vita com-

muni, neque in ullo scientiarum genere ullum habent usum,  
sed quaevis etiam alia, quae nil pertinent, nil conferunt  
ad usus nostros medicos; TE noluisse, que vel inanem  
nouaturiendi & inclarescendi pruritum, vel sectae alicuius  
studium sapiunt; TE contra illis omnibus contraria maluisse.  
TE maluisse agere eclecticum, ab omnibus quidem discendi  
cupidum in neminis tamen verba & asserta iuraturum; ma-  
luisse TE VETERVM & RECENTIORVM tradita combina-  
re, quam, vel antiquitatis, vel nouitatis studio TE abripi pa-  
ti; maluisse TE proprius ad nos, ad aegrorum nostrorum  
salutem spectantia cum publico hic communicare, quam re-  
motioribus frustra aliquam affectare gloriolam. Fac, ut  
fecisti, cures & in posterum similia & similem in modum,  
res, inquam, medicas ipsas, fugatis earum imaginibus er-  
raticis, repudiatis ridiculis saepe figmentis medicis, &  
nugosis potius, quam utilibus hypothesibus, reiectis ob-  
foletis, translatitiis, praecognitum, viscatis etiam, opinioni-  
bus, semotis pariter & mysteriorum loco venditatis mysta-  
rum polychrestis, medicaminibus methodisque, ad ostend-  
tionem magis factis, quam ad usum, devitatoque denique  
vel inanis confidentiae, vel sicculeae autoritatis praejudi-  
cio, quod proiicit ampullas & sesquipedalia verba. Ut cir-  
ca alias res nostras medicas id genus monita, ita quam maxi-  
me circa hanc de febribus malignis doctrinam eadem iusta esse  
atque necessaria, adeoque, utpote sponte sua sic enata, quin  
obtrusa, heic nequaquam incongrue sed perapposite non po-  
tuisse

tuisse non repeti & inculcari & TIBI nostrisque COMMILITONIBVS, aliisque cordatioribus rerum nostrarum gnarismolesca haud esse posse, ita dudum certum habeo exploratumque, ut inique de eo dubitauerim. Eorum TE bene memorem esse, luculenter hic ostendidisti. Fac eorum nunquam nusquamque immemor sis praesertim ad lectos aegrotorum TVORVM in futura praxi TVA. Facies id omnino pro salute eorum, pro scientia amplificanda, pro conscientia tuenda, in artis salutaris, in TVI IPSIVS honorem, in communia Reipublicae conimoda, in SVPREMI NVMINIS, quod ita TE adiuuet, gloriam. Ceterum ut TVO me porro amori, amicitiae & fauori & imposterum de meliori commendatum esse volo, ita ad mutua quaevis officia, me semper habebis quam paratissimum & nominis TVI obseruantissimum.

Dabam e Museo d. 15. Oct. 1768.



